

IV. *Observatio Lunaris Eclipseos Albani habita post Occasum Solis diei Dominice 21 Octobris. S. N. 1725. Ab eodem. Ex eadem Epistola.*

H. M. S.

HOrologiis pendulo instructis, & per dies plures ad meridiem verum exactis utebamur.

Occasum solis spectare hodie non licuit, nubibus occupantibus occidentalem Horizontis plagam.

Nubibus pariter orientalem tractum obscurantibus in Lunæ ingressu in umbram, tam pertinaciter australis ventus novas cogebat, ut per totum tempus immersionis integri globi Lunaris in umbram, vix ter, aut quater, idque raptim, tubum opticum in eum dirigere datum sit.

Circa hoc tempus umbra videbatur ad centrum Lunæ pertingere. Sed cum maculæ distinctè definiri non potuerint brevissimo illo spatio temporis, quo per nubium intervalla discus Lunaris detegebatur, præcisè noscere non valemus hanc ipsam phasim digitorum sex Lunaris diametri obtectorum, licet paulò abludat à minuto 15, post horam sextam à Meridie.

Totalis Immersio ad hoc circiter minutum temporis referenda est, quantum spectare licuit ex duobus, aut tribus minutis horariis, quibus Lunam vidimus fatis di-

A a 2

finchè

stinctè. Verùm secunda temporis definire, quibus umbra vera totum discum obtinuit, permissum nobis non fuit à nubibus succedentibus.

Post immersionem totalem discus Lunæ apparebat ab Atmosphæræ terrestris radiis refractis rubescens, dilutiori tamen colore in ea parte limbi, quam postremam Sol deseruerat.

Inducta postmodum serenitate, licuit observationes immersionis perficere.

Subalbicat discus Lunæ in limbo proximè illuminando. Nondum tamen lux directæ Solis discum attingit. 8 20 0

Clarius adhuc fit limbus Lunæ; sed nondum excedit ab umbra vera. 8 25 0

Nunc primùm limbus Lunæ incipit lumen recuperare in parte circumferentiæ sita inter maculas Grimaldi & Galilæi: quæ maculæ adhuc latent. 8 27 0

Limes illuminationis attingit primum limbum Grimaldi. 8 29 40

Totus Grimaldus extra umbram. 8 30 40

Galilæus emergit ex umbra. 8 31 30

Aristarchus incipit emergere. 8 35 40

Totus Aristarchus emerfit. 8 36 0

Prior Copernici limbus incipit illuminari. 8 48 20

Totus Copernicus extra umbram. 8 49 50

Totus Plato emerfit. 8 51 20

Prior limbus Tychonis incipit emergere. 8 54 0

Totus Tycho extra umbram. 8 56 0

Subtensa arcus CAD, & CFD per Micrometrum explorata est partium Micrometri 22, qualium Lunæ diameter est 24 in 8 59 0

tubo

	<i>H. M. S.</i>
tubo palmorum undecim Rom. A B verò est partium 12. (<i>Vide Fig. 5.</i>)	
Menelaus 25 exit. (25 est numerus maculæ assignatus in Lunæ imagine, à Parisiensi Academia edita.)	9 2 0
Macula clarior sita ante Plinium exit.	9 5 0
Hermes ab umbra prodit.	9 6 0
Plinius emergit.	9 50 0
Incipit emergere Possidonius 27.	9 16 0
Maris Crisium limbus prior emergit.	9 18 0
Totum Mare Crisium extra umbram.	9 25 0
Langrenus 39 exit.	9 24 0
Umbrae extremum in limbo Lunæ adhuc videtur.	9 24 30
Finis umbræ veræ.	9 25 0

V. *Conspectus Maculæ Platonis in Luna cælo clarissimo nocte sequente diem 16 Augusti 1725, hora prima post occasum Solis Romæ in monte Palatino, per tubum opticum Josephi Campani, palmorum 150 Romanorum, spectante eodem Viro Cl. Ex eadem Epistola.*

MArgines elevati in ambitu maculæ perfundebantur luce Solis, & candorem consuetum ostendebant: fundus maculæ tenebrosus spectabatur, cum ad illum radii solares nondum pertingerent. Sed projectio lucis minus candidæ, imò nonnihil rubescentis, pervadebat mediam aream maculæ (ut in *Fig. 6.*) non secus, ac si in latere marginis A Soli obverso foramen aliquod fuerit, per quod radius Solis admitteretur.

Cla-

Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 5.




Fig. 4.



Fig. 6.




Fig. 7.

